

peregrinationem Achaicam Neronem profecutus, per noctem audire visus erat, tum sibi ac suis fecundioris fortunæ primordium fore, cum primum Neroni dens erutus fuisset: Quod cum secum recogitans in atrium exiret, obuium habuit Medicum, dentem in manibus habentem, quem tunc eruerat Neroni, atque vltro ostentantem sibi somnium fortuna ratum fecit. Per eosdem enim dies ad compescendam Iudææ rebellantis insolentiam, Vespasianus, quo nullus aptior tantæ rei videbatur, cum exercitu missus est, isque sibi & suis haud dubiè primus ad Imperium gradus fuit.

## GALBA IMP.

**G**alba quidem Tusculanæ Fortunæ templum supersticiosè colere consuetus, ad ornatum eius monile margaritis ac gemmis pretiosissimis intertextum, ex omnibus thesauris suis extruxerat: mox mutato consilio, Capitolinæ Veneris celebrioribus aris imposuit dedicauitque: secutæ noctis quies imaginem sibi Fortunæ turbationis obtulit statuto, se frustratam munere lamentantis minasque testantis, se quoque cum suis muneribus abituram. Quo ille tremefa-